

nuncupant sanguinarium [A]. Redeunt cives non cum laetitia, sed tamen sua aequanimitate [a] substinent [b] adversa, eo quod hostes viderant passos deteriora; quia solatium est miseris socios habere pœnarum. Liberati itaque Faventini a tanta multitudine, Deum suum salvatorem [c] laudare non cessant; erant enim [d] tunc pauci; itaque in claustro Sancti Petri facere consueverant concionem, nec tempore guerrae [e] centum & quinquaginta milites facere poterant. Qui vero erant in districtu vel comitatu Faventino in quatuor milliariis longe a civitate, civibus sine expensis et soldis nullatenus [f] subveniebant.

De destructione castri Solaroli.

CAP. XXXVII.

Cum omnia castella comitatus Imolae Faventinis pro posse resisterent, et ^{modis} omnes offendere niterentur [g], procures et alii, qui in castro Solaroli [B] habitabant, huius nequaquam erant immunes nequitiae. Nam multoties, usque ad Sanctum Iulianum in Faventinos insultum facientes, si quem inveniebant, capere aut interficere nullatenus formidabant. Strata vero in odium civium saepe depraedabatur [h]; quibus Faventini [i] tristem pro meritis vicem quandoque peddebant. Sub anno itaque Domini MCXXXVIII, procures, qui vocabantur Filguirardi [j] et alii, qui dicebantur Guilielmi, quadam die, maximum inter se commiserunt praelium, et quodam igne imponente [k] totum, eorum exigentibus meritis, combustum est castrum; quod infra viii dies [l] Faventini penitus destruxerunt.

[a] sua aequanimitate. Sic legit cl. Mitt. In C. V., aequanimitate. — [b] substinent, C. M.; sustinent, C. V. — [c] Deum suum salvatorem. Sic ex C. V.; etsi C. M. habeat diem. — [d] erant enim, C. V. In C. M. character fere evanuit; hinc cl. Mitt., pro enim, legit omnes. — [e] nec tempore guerrae. Sic C. A. In C. V., pro nec, legitur sub. Quid habeat hic C. M. legi non potest. — [f] et soldis nullatenus. Sic Codd. — [g] et omnes offendere niterentur. Sic lego cum C. V.; at cl. Mitt. legit modis, pro omnes, et supplet omnibus. — [h] Strata vero etc. saepe depraedabatur. Sic Codd.; sed lege: stratam vero etc. saepe depraedabatur. — [i] quibus faventini, Codd. M. et A. In C. V., quibusdam Faventini. — [j] vocabantur Filguirardi, Codd. M. et V. In C. A. et V. I. Greg. Zucculi, Filguidardi. — [k] quodam ignem imponente, C. M., non igne. — [l] infra viii dies. Intellige post; nam ex hoc incendio postea Faventini occasionem castrum destruendi desumpserunt.

[A] Hoc anno igitur incepit dici Sanguinarius, non antea; fortasse antea nomine carebat. Vide supra. Rivus hic est inter fluvium Santernum et Sennium, media via inter Imolam et Castrum Bononiense.

[B] Solaroli castrum, vulgo Solarolo, distat Faventia septem fere milliariis, versus septentrionem. Tunc fortasse in ditione Imolensi erat. Deinde Faventinorum fuit; nunc nostrae dioecesi subest.

[C] Erant hi, et Guilielmi magnates, ibidem ad custodiam castrum degentes.